

FK 72, 15

(X2045046)

Za
122

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
 AD
FUNUS
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI AC
PRUDENTISSIMI
DOMINI
MATTHIÆ ANDREÆ
LAURENTII

ab ADLERSHELM,

REIP. LIPSIENSIS SENATORIS ET XENODOCHII.
 AD D. JOHANNIS INSPECTORIS
 MERITISSIMI

HORA III. SOLENNITER DEDUCENDUM

PROCERES CIVESQVE ACADEMICOS
DECENTER INVITAT.



Non immodico affectu aut philantia malefana agita-
tus, non intempeſtiva regnandi libidine abreptus, ſed verita-
tis, quam ſibi per omnem vitam voluit conjunctiſſimam, ad-
ductus amore Philoſophorum ſummus Plato in Dialogo V. de
Republica hunc in modum diſſerit: Tunc florent Republicæ, quando
Philoſophus regit & Rex philoſophatur. Etenim cui vel minima huma-
nitatis non dicam pietatis reſtat particula, ſapientiæ ſtudio negare vere-
bitur, quod imperantium omnium ſapientiſſimus divina afflatus veritate
eidem attribuit; nec diſſvadebit reſturis, quod Salomo tot præclaris &
æternis verbis, tanto ac tam ſollicito ſtudio iſtis iſvit commendatum. Ve-
rum quid opus eſt autoritate Dei ſtabilire, cujus pleni ſunt omnes codi-
ces: plena prudentium monumenta: plena exemplorum hiſtoria. Ratio-
nem oportet ut ejiciat, qui diſſiteri audent, ad imperium legitime geren-
dum requiri prudentiam. Certè Alexander Magnus faventem adeo
cceptis ſuis nunquam habuiſſet fortunam, nec itinere adeo expedito ad de-
cus, ad gloriam proceſſiſſet, niſi Philoſophiam nactus fuiſſet comi-
tem, qua incomparabiliis ævi ſui Philoſophus Ariſtoteles ipſum erudi-
verat. Sapientem enim ſupra fortunam eſſe, omniaq; conſilio potius &
ſapientia regi quam fortuna, fuerat expertus. Quod agnoſcens ipſemet
Philoſophia nihil unquam habuit antiquius, nihil putavit glorioſius. Hinc
contra Darium militans exprobrat Ariſtoteſi per literas, ipſumq; in Ale-
xandrum non ſecus ac ſemet pronunciat injuriam, quod diſciplina aerea-
maticas, quas dexterrime Regem docuerat, publici facere juris non eru-
beſcat. Nam qua, inquit, alia re præſtare ceteris poterimus, ſi ea, quæ ex
Te accepimus, omnium prorsus ſient communia: quippe ego doctrina
malim antequam quam copus & opulentiis. Neq; enim magnificis muro-
rum ſtructuris, neq; numeroſa civium multitudine civitas continetur; ſed
ſapientia gubernatorum, verba ſunt Iſocratis in Areopagitico. Suffragatur
Diotogenes Philoſophus Pythagoricus elegantiffime in libro de regno
hanc in rem, vocibus tamen aliquantisper mutatis, commentatus: Per-
fectus ut Magiſtratus ſit, eum bonum Imperatorem & Judicem & Sacer-
dotem (ſubintellige etiam Philoſophum) eſſe oportet. Cultus divinus
(quæ optima & præcipua ſapientiæ pars eſt) omnino imperantium digni-
tatis eſt; quippe optimum ob optimo & ſummum à ſummo coli fas eſt.
Nimirum inter præſtantiffima naturæ Deus excellit: inter homines verò
& in terrenis Magiſtratus aut Princeps. Ut igitur Deus ad mundum, ſic
Magiſtratus ſe habet ad Republicam & ut Resp. ad mundum, ita Magi-
ſtratus ad Deum. Civitas enim ex multis diverſiſq; concinnata, mundi
ſtructuram & harmoniam imitatur. Magiſtratus autem innoxie & juſte
imperans & lex viva Dei exiſtens, Dei figuram inter homines repræſen-
tat. Ecquis vero hanc repræſentabit dignius, ecquis exactius, quam Phi-
loſophus? Quod ſi enim nihil Deo conjungit arctius quam ſapientia, quid
Dei vices gerenti Magiſtratui magis erit neceſſarium? Nemini cuiquam
magis eſſe philoſophandum quam Magiſtratui: neq; id aliam ob cauſam
magis, quam quia Magiſtratus eſt. Magiſtratus ſiquidem eſt, poſſe homi-
nes conſervare & beneficiis afficere: quod qui facturus eſt, eum neceſ-
ſe eſt ſcire, quid homini bonum aut malum ſit, quid commodum aut no-
xium, quid utile aut inutile, non incongruè monet Muſſonius. Hinc Prin-
cipes ſummi in pretio olim habuerunt Philoſophos: hinc integræ gentes
ſummam rerum non aliis quam Philoſophis voluerunt conceditam. Ul-
pius

pius Trajanus, referente Dione, philosophum ꝛ vendam currui triumphali imposuit. Julius Cæsar Philosophos civitate donavit, ut promptius civitatem incolerent. Eduardus Angiæ Rex filios sic voluit instrui, ut primum eruditio plena literarum in eos conflueret & quasi Philosophi ad gubernandum imperium accederent, teste Malmesburiensi lib. II. de gest. Angl. & Ranulpho lib. VI. cap. 4. Observat Plato Ægyptios olim ex Philosophis Sacerdotes, ex Sacerdotibus Reges creasse. Ut Persas taceam atque Sinenses, quotusquisq; nostrum ignorat, apud Romanos quondam Philosophos & Sacerdotes imperasse? Nec infelix eorum extitit imperium. Felix itaq; & nostra civitas, cui Philosophi contingunt imperantes. Verum enimvero infelices hodiè nos, qui Philosophum Senatorem lugemus defunctum. Est is Vir Nobilissimus, Amplissimus ac Prudentissimus DN. MATTHIAS ANDREAS LAURENTII ab ADLERSHELM, Civitatis Lipsiensis Senator & Xenodochii Johannitani Inspector longè meritissimus. Hunc & Philosophi & Senatoris titulum apud nos meruisse sequentia declarabunt. Patria contigit illi Lipsia, ingeniorum ad studia natorum per annos innumeros fecundissima Mater, quam d. XXI. Novembris A. C. cl. lxxvii. post horam octavam primum aspexit. Parentes habuit: patrem Virum Amplissimum atq; Clarissimum DN. MATTHIAM LAURENTII, Noribergensem, Mercatorem Lipsiensem integerrimum, eumq; ex Nobilissimo atq; Amplissimo LAURENTIO LAURENTII clarissimo & illustri apud Italos Laurentiorum genere orto; & Nobilissima atq; iis virtutibus quæ nobiliem feminam decent in primis ornata APOLLONIA Viri Nobilissimi atq; Amplissimi Consulis Reip. Hirschbrugenensis MATTHIÆ TEUFFELII filia oriundum: matrem nobilitatis pariter ac virtutis splendore maximè conspicuam feminam JOHANNAM, quam Nobilissimus, Excellentissimus atq; Experientissimus Dn. ANDREAS SCHULZIUS Medicinæ Doctor famigeratissimus, ex nobili Schulziorum prosapia, quæ multa antehac feuda in Marchia possederat, prognatus, Illustrissimorum ac Serenissimorum Principum ac Comitum, nec non Per-Illustis Dn. à Schönburgk, Glauche aliorumq; Archiater, & civitatis Cygnæanæ Physicus, quem vocant, longè celeberrimus, Cygnææ suæ ex honestissima & elegantissima muliere MARIA Nobilissimi ac Prudentissimi Senatoris Cygnæani Dn. JOHANNIS LEIPOLTI filia tanquam depositum grande dederat. Sicut verò teste Seneca generosa in ortus femina exsurgunt suos, ita spem faciebat indubiam vir beatus, felicem aliquando paternæ avitæq; virtutis se fore hæredem. Hinc postquam altero mox à nativitate die in templo Nicolaitano Ecclesiæ Christi erat insertus, cum in prima statim infantia ingenium ad literarum studia aptissimum deprehenderent Parentes, perpoliendum illud optimisq; artibus & scientiis excolendum Triumviris Clarissimis M. TOBIÆ SCHMIDIO, dehinc Ecclesiæ Cygnææ Diacono vigilantissimo, M. LUCE POLLIONI, Vratislaviensi, posthac Concionatori apud Lipsienses disertissimo, & M. JOHANNI HOFERO, Doctore deinceps Theologiæ & Principi Abbatissæ Quedlinburgensi à supremis Concionibus Aulicis, laudabili consilio tradiderunt. Quorum dexteritate & industria ea in literarum studiis confecit stadia, ut anno ætatis decimo nono Philosophiæ Bacçalaureus publicè fuerit renunciatus. Hæ primitiæ honorum largissimam imposteriorum subsequituram pollicebantur messem. Nec excidit voto. Quia enim non uni loco sapientiam adstrictam esse, nec certis intervallorum cancellis contineri

La 122 JK

contineri noverat, alteram Serenissimorum Electorum Saxoniae Academiam Leucoream adiit ibidem per biennium integrum commoratus. Intra illud tempus Philosophos, quos tum Witteberga alebat praecipuos, sedulus audiebat, eorumque Collegiis frequens intererat. Ex multis Viros Excell. *M. NIGRINUM* Moraliu P.P. sub quo prima vice cathedram Philosophorum inferiorem de Temperantia thema a se elaboratum propositurus conscendit: *M. ERASMIUM SCHMIDIUM* Gr. Ling. P.P. & Philologum eximium recensere sufficiat. Praeter hos perpetuum studiorum ducem deligebat *M. GODOFREDUM SCHNEIDERUM*, quo dirigente XXX. Theses Politicas, quae ipsum autorem agnoscebant, publicae eruditorum disceptationi submittebat. Sed non patiebatur tenerrimus patriae amor diutius abesse, quamobrem exacto biennio Lipsiam regrediebatur, ut quae formaverat ipsum, eadem perficeret benignissima Mater. Quoniam vero ad supremos honores Philosophicos contendebat, omnem operam eò conferebat & ne expectatio concepta eum falleret, Viros Excellentissimos Amplissimosque *D. ITTIGIUM*, *L. CORVINUM*, *D. BACHMANNUM*, *L. MULLERUM*, *M. RECKLEBEN* aliosque, assidue sequebatur. Nec in disputando eum Lipsia sequirem quam Witteberga vidit. Praesidibus enim *M. PAULO MARTHIO*, quem Comitatus Mansfeldicus Decanum Generalem postea suscipiebat, de Magistratu, & *M. DANIELE MULLERO* nunc Theologiae Doctore & Archi-Diaco- no ad D. Nicolai meritissimo de Visu & Auditu publice disputavit. Unde Collegium Philo- sopicum, cui tot documentis publicis insignis ejus diligentia fuerat probata, non potuit non lau- ream in Philosophia supremam, quam legitime ambierat Pro-Cancellario *L. CORVINO* & De- cano *D. ITTIGIO* solenniter A. Cl. Idc xxxix. suffragio unanimi conferre. Qua impetrata qua- lem se gesserit, Disputationes duae, quas praesidendo defendit, de Monarchia una, altera de sub- ditis, & prior pro Loco, quam dicunt, in Facultate Philosophica, abunde loquuntur. Sed tantum aberat ut studio Philosophico se totum mancipaverit, ut potius ad altiora, Theologica signo, progredi duxerit necessarium. Moderabatur ea triga Theologorum summorum & immortaliter de Ecclesia, Academia & omni Republica literaria meritorum, *CARPZOVIVS*, *HULSEMANNUS*, & *HENRICI*, quorum auspiciis de Exinanitione Christi, de sacra Coena & ex verbis Apoc. I. 8. Ego sum α & ω , applaudentibus singulis solenniter disputavit. Studio Theologico adjecit Homileti- cum, ut cathedram utramque sacram & Academicam sibi de vinciret. Nec his contentus ad Philo- sphi quoque integritatem existimabat pertinere, ut exteras terras, quarum cognitionem, at non nisi confusa, ex libris hauserat, praesens distinctius contueretur. Quod animo agitans A. Cl. Idc ad Germanum suum Hamburgi tunc morante DN. CHRISTIANUM LAURENTIUM ab AD- LERSHELM, quem Serenissimus Elector Saxoniae consiliorum Camerae secretiorum parti- cipem facit, quem civitas nostra senio & dignitate venerandum colit, ad volare statuit. Inde in Belgium profectus Academiam Lugdunensem studiorum suorum sedem per menses aliquot exoptavit. Reversus vero in patriam provincias Belgii, Hollandiam, Brabantiam, Geldriam, Flandriam, Seelandiam, Ultrajectum, Frisiam, Groningam ceterasque peragravit. Nondum tamen omnis peregrinationis terminus adesse videbatur. Etenim A. Cl. Idc LIII. fratris rogatu, cui refragari erat religio, in Belgium regrediebatur, & simul Bruxellis, Gandavo, Dunkerko, Graesslinga aliisque civitatibus nobilioribus lustratis in Angliam contendebat, ibidemque expleto spatio annuo & Londino, Oxonio, Windsor aliisque urbibus praecipuis curatius notatis domum redux fiebat. Ubi cum pietas ejus & probitas, humanitas insignis, rerum variarum experientia haud vulgaris nemini non inno- tuisset, Curia tandem Lipsiensis, quem Academia suam esse dudum jusserat, sibi adsciscere gestiens, A. Cl. Idc LXXI. Senatorem nominabat. De quo munere non minus ac de cura Xenodochii ad D. Joh. A. Cl. Idc LXXIX. comissi- sa praecclare meruit. Consilium de matrimonio ineundo quod cepserat A. Cl. Idc LXXVII. est exsecutus, sociamque tori expetiit matronam honestate & virtute insignem *SIBYLLAM* Viri Praecellentis & Con- sultissimi DN. *WOLFGANGI VOLRATHI* Juris Practici & Ordinis Philosophici Assessoris gravissi- mi relictam viduam, ex qua tamen nullam suscepit sobolem. Tranquillam nihilominus & vere conjugalem cum ipsa transegit vitam, transacturus ulterius, nisi ad tranquillio- rem vitam per mortem transiisset. Hunc transitum licet nulla non momento promptus expectaret, propiore tamen esse ex morbo nupero praesagebat. Conflictatus quidem erat a teneris cum acerbo a liene malo, solito tamen acerbius d. XV. mensis praesentis affligebatur febris accedente, ita ut lecto penitus affigeretur, mature itaque ministrum verbi accersivit, ei que peccata confessus viatico salutari se instruxit. Dehinc auxilia Medicorum imploravit; ast quia elidi illa omnia pensavit, ad Deum unice confugit, in quo etiam inter horam II. & III. sub primam vesperam d. XXII. Jul. placide exspiravit. Vivit tamen adhuc Philosophus Senator, vivit in Repu- blica utraque, nec vivere desinet, quamdiu Lipsia nostra Philosophos venerabitur & Senatores. Vos autem Proceres atque Cives Academici, nolite mortuo negare officium, quem vivum quondam habuistis vestrum, justisque funebribus hodie hora III. persolvendis frequentes adeste. P. P. d. XXV. Jul. A. C. Cl. Idc XXCIII.

LIPSIÆ, Literis CHRISTIANI SCHOLVINK.

lora

mc



FK 72, 15

(X2045046)

Za
122

REC
ACADEMIÆ
FU
VIRI NOBILISSIMI
PRUDEM
DOM
MATTHIÆ
LAUR
ab ADLE
REIP. LIPSIENSIS SENAT
AD D. JOHANNI
MERIT
HORA III. SOLENNI
PROCERES CIVES
DECENTER

BIB
PONI

THE
LION

